

litigiosae quoque in sequestrationis definitione non recte fieri mentionem, licet plerumque id fiat; ante nos monuit SAMVELIS DE COCCEN^{h)}, licet is ipse supponere videatur, de re illa, quae sequestratur, controuersiam esseⁱ⁾. Denique hoc loco id adiicio, quod CLVDIVS^{l)} obseruat, distinxisse non nullos inter sequestrationem rei liquidae, et illiquidae, ita, ut rei liquidae sequestrationem dicerent voluntariam, rei illiquidae necessariam, quod tamen ipse CLVDIVS reiecit.

§. XV.

NON OMNE DEPOSITVM REI LITIGIOSAE ESSE
SEQUESTRATIONEM.

QVAE hucusque disputata a nobis sunt, eo tendunt omnia, ut probemus, non omnem sequestrationem esse depositum rei litigiosae, quod ita efficere studimus, ut ostenderemus, nec depositum, nec rem litigiosam in omni sequestratione venire. Quae si vera sunt, cogitur ex his, definitionem illam, quae vulgo tradi solet, non omnia comprehendere, quae sunt rei, quae definienda erat, subiecta, adeoque rem ex parte quadam, non ex omni genere esse definitam, quod maximum in definiendo vitium esse, quis dubitabit? Certum enim est, si res tota quaeritur, definitione vniuersam vim explicandam esse^{a)}. Sed ut magis adpareat, quam inconcinna haec sit definitio, quam incongrua, quam male ad rem defini-

b) in *Iure ciu. controu. ad Tit. D. de-positi qu.* 16. l) vbi saepe c. 3. n. 6. p. m. 91.

i) coniiicio hoc ex eo, quod respondet a) Ita praecipit CIC. *Lib. 2. de orat. c.* ad obiectionem primam. l. c. 39. f. 164.